



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque  
Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus,  
nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Disp. II. De speciebus moralitatis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

## DISPUTATIO PRIMA

Ex his inferes contra Scotum, Suarem, Vaz-  
quem, & alios Recentiores, naturam rationa-  
lem, ut antecedat dictamen rationis, & quam-  
cumque legem, non esse formaliter regulam mo-  
ralitatis, quamvis possit quodammodo dici re-  
gula radicalis.

Probatur: Regula formalis moralitatis debet  
regulare & determinare modo morali, hoc est  
proponendo, praincipiendo &c. Sed natura rationa-  
lis, ut antecedat dictamen rationis, non hoc  
modo concurrit, sed inclinando per modum na-  
ture: Ergo &c. Addo quod, cum inclinatio naturae  
rationalis non sit solum ad bonum morale, sed  
etiam ad bonum physicum ordinis rationa-  
lis, nec solum contra illam sit malum morale, sed  
etiam malum physicum; bonitas & malitia mora-  
lis ex predicta inclinatione, ut antecedat  
dictamen rationis, neque sufficienter venari,  
sed solum ex ipso dictamine rationis, ut partici-  
pante legem eternam, eique subordinato. Unde  
natura rationalis, ut tale dictamen antecedit,  
potest solum dici quodammodo regula radicalis,  
quia est radix lumen rationis, & tale dictamen  
illi debetur. Dixi esse quodammodo regulam ra-  
dicaliter; quia non est ita universalis in ratione  
regule radicalis, sicut dictamen in ratione regu-  
lae formalis: nam dictamen, ut lege divina  
informatum, se extendit ad actus ordinis super-  
naturalis, ad quos inclinatio naturae, directe  
saltet, non fertur.

A lis regula, & cuius lex ipsa naturalis, seu dicta-  
men naturale rationis, est quædam intimatio &  
participatio, ut docet D. Thomas hic qu. 19. art.  
4. ubi sic habet: *Quod ratio humana sit regula  
voluntatis humanae ex qua ejus bonitas mensu-  
retur, habet ex lege aeterna, qua est ratio divina.*  
*Vnde Psal. 4. dicitur: multi dicunt, quis ostendit  
nobis bona? signatum est super nos lumen vultus  
tui Domine: quasi diceret, lumen rationis quod in  
nobis est, instantum potest nobis ostendere bona,  
in quantum est lumen vultus tui, id est, à vultu  
tuo derivatum. Vnde manifestum est, quod multo  
magis dependet bonitas voluntatis humana à  
lege aeterna, quam à ratione humana. & ubi deficit  
humanaratio, oportet ad rationem aeternam recur-  
rere. Et quo patet solutio ad secundam confir-  
mationem: sublata enim omni lege positiva, di-  
vina & humana, homo adhuc diceretur agens  
moralis, & bene aut male moraliter operans,  
per ordinem ad legem Dei eternam, quæ est  
prima totius moralitatis, seu bonitatis & mali-  
tiae moralis, regula. Si verò supponatur primam  
hanc legem ac regulam operandi tolli, tunc fa-  
cta hac suppositione impossibili, destruetur om-  
nis moralitas formalis (quia sublato primo ali-  
cujus generis, à quo cetera essentia litera dependent,  
ea pariter destrui necesse est) & remanebit  
fola moralitas fundamentalis, consilens in capa-  
citate, quam actus humani habebunt ut regulen-  
tur à legibus, si ponantur.*

## S. II.

## Solvitur objectione Scotti.

34. **O**BIICES cum Scoto: Omne judicium  
supponit aliquam mensuram sive regulam,  
in qua ejus certitudo fundetur: Sed non est in  
quo fundetur certitudo judicij sive dictaminis  
rationis nostræ, actus humanos dirigentis, præ-  
ter naturam ipsam rationalem: Ergo debet in  
ea fundari; ac proinde ipsa est prima regula mo-  
ralitatis.

Confirmatur: Plura sunt, que ex sola habi-  
tudine convenientiarum, aut inconvenientiarum ad  
naturam humanam sunt bona, vel mala, ante-  
quam lege aliquâ præcipiantur, vel prohibeantur,  
qualia sunt que præcipiuntur, aut prohibeantur  
lege naturæ.

Confirmatur amplius: Si nulla daretur lex  
præcipiens, aut prohibens aliquos actus humanos,  
adhuc nihilominus homo est agens mora-  
lis, & operetur bene, dando elemosynam, ma-  
le autem, furando, aut meptiendo: Atqui tunc  
sola natura rationalis est prima regula moralita-  
tis: Ergo & modò

Ad objectionem respondeo, concessa Majori,  
negando Minorem: id enim in quo fundatur  
certitudo judicij, sive dictaminis rationis no-  
stræ, actus humanos dirigentis, non est ipsa na-  
tura rationalis (cum haec, ut vidimus, non pos-  
sit sufficienter determinare prædictum judicium  
ad genus moris) sed est ipsa æterna & increata  
Dei lex, à qua tanquam à prima regula ordinis  
moralis accipit certitudinem, ut in ejus virtute  
possit proximè regulare actus humanos, & ad  
ultimum finem dirigere. Unde ad primam con-  
firmationem dicendum est, ea que solum lege na-  
ture sunt præcepta, vel prohibita, esse moraliter  
bona, vel mala, per ordinem ad legem eternam,  
que est prima totius bonitatis & malitiae mora-

## DISPUTATIO II.

## De speciebus moralitatis.

Ad questionem 18. D. Thome.

**M**ORALE genus, de quo disputatione  
præcedenti tractatum est, vulgariter di-  
visione dividitur in duas species, bo-  
nitatem scilicet, & malitiam moralem, de quibus  
breviter agendum est: postea resolvemus, an  
in eas ad equitatem dividatur, vel sive tertia alia spe-  
cies media inter utramque.

## ARTICULUS I.

In quo consistat bonitas moralis actuum  
humanorum?

## S. I.

Referuntur sententiae, &amp; vera eligitur.

**S**icut in explicanda ratione generica mora-  
litatis, varia sunt Authorum placita, ita & in  
exponenda ratione bonitatis moralis, que est  
prima ac præcipua ejus species, diversæ sunt eorum  
sententiae. Prima est, bonitatem hanc nihil  
esse præter collectionem omnium circumstantia-  
rum seu conditionum, que secundum restat  
rationem necessaria sunt ut actus interior simpli-  
citer & absolutè denominetur bonus. Refertur  
pro hac sententia Scotus in 2. dist. 40. quo loco  
eam declarat per proportionem ad bonitatem  
naturaliem uniuscujusque rei, que nihil aliud est,

quām collectio perfectionum omnium, quāe tali rei juxta naturam ejus debentur. Favet Divus Thomas hīc qu. 18. art. 1. ubi explicat bonitatem actū moralis, per hoc quod habeat plenitudinem esseendi, & nihil illi deficiat ex his quāe suo esse congruant, sicut debitū finis, debita quantitas, debitū locus &c.

Secunda opinio asserit rationem formalem bonitatis moralis consistere in relatione conformitatis ad naturam rationalem, quatenus rationalis est, ut ad primā regulam; & ad rectam rationem, ut ad regulam proximam; quam relationem vult esse rationis, & denominationem quādam extrinsecam, defumptam à regula afficiente objectū per modum forma extrinsecæ, & dante illi esse regulatum & mensuratum. Ita Vazquez hīc disp. 95. cap. 10. & alij Recentiores.

Tertia ponit rationem formalem & specificam boni moralis in aliquo modo absoluто, actui humano superaddito. Hac attribuitur Cajetano infra qu. 71. art. 6. & 72. art. 1. Sed ille loquitur de modo absoluто, habente transcendentalē respectum ad objectū, & contraponit ly *absolutum*, purè relativo, seu relationi prædicamentali, non transcendentali: unde non recedit à communī sensu Thomistarum, bonitatem moralem in habitudine transcendentali ad objectum moraliter bonum, hoc est, ut conforme recte rationi & legi, constituentium.

Dico primō: Quām ad bonitatem moralē actū requiratur collectio eorum omnium, quāe ex parte objecti sunt illi debita secundūm rectam rationem, non consistit tamen formaliter in illa collectione.

Prima pars patet, tum ex illo communi Dionysii effato, quo asserit bonum resultare ex integrā causa, malum ex quocumque defectu: tum etiam quia bonum idem est ac perfectum; perfectum autem est, cui nihil deficit eorum quāe ipsi debentur: Ergo ad bonitatem moralem actuum humanorum requiritur collectio eorum omnium, quāe ex parte objecti sunt ipsis debita.

Secunda verò pars, quod scilicet in tali collectione non consistit formaliter bonitas moralis actuum humanorum, probatur primō: Quia, ut dicimus conclusione sequenti, bonitas moralis non consistit in denominatione extrinseca, sed in aliquo intrinseco actui humano: Atqui collectio eorum quāe sunt debita actui, plura extrinseca includit, nempe objectum, finem, circumstantias, &c. Ergo in tali collectione non consistit formaliter bonitas moralis.

Probat secundō: Ratio generica moralitatis realiter distinguitur ab hujusmodi collectione: Ergo & ratio specifica bonitatis. Antecedens patet: ratio enim generica moralitatis importat solum ordinem ad objectum ut subjectum regulis morum. Consequentia probatur: Gradus genericus & differentialis in unaquaque re identificantur realiter; ac proinde ex reali distinctione unius ab altero tertio, infertur distinctio alterius ab eodem tertio, quia quae sunt eadem inter se, distinguuntur ab uno tertio, ut dicit commune Dialecticorum principium, in quo ars syllogistica fundatur: Ergo si ratio generica moralitatis à prædicta collectione realiter distinguitur, ab ea quoque ratio specifica bonitatis realiter distingui debet.

Tertiō: Si bonitas moralis esset prædicta collectio formaliter, non esset propriæ species moralitatis: quia species est unum per se; talis

A autem collectio unum per accidens, cū plura involvat diversi generis, & in suo genere completa.

Denique probatur secunda pars conclusio-  
nis: Eodem modo cum proportione loquendum est de bonitate in moralibus, ac in naturalibus: in naturalibus autem sunt duo entium genera; quādam absoluто omnino, hoc est quāe non ha-  
bent suam quidditatem in commensurazione ad extrinseca, ut lapis, lignum, & similia; alia ve-  
rò respectiva, aut prædicamentaliter, aut trans-  
cendentaliter, ut potentiae, habitus, & actus: Porro quāmvis bonitas entium absolutorum con-  
sistat in aggregato ex omnibus quāe ad eo-  
rum perfectionem requiruntur, ut fundat rela-  
tionem appetibilitatis: naturalis tamen entium  
relativorum bonitas, non potest formaliter esse  
sita in collectione omnium quāe ad eorum perfe-  
ctionem requiruntur; quia quādam ad illa re-  
quiruntur tanquam extrinseca connata, ut ob-  
jectum respectu actū, habitū, aut potentiae  
naturalis; in hujusmodi verò extrinsecis non  
potest bonitas eorum consistere formaliter, sed  
potius in habitudine & commensurazione ad il-  
la: unde non idē sunt bona his positis, quod in  
illis formaliter consistat eorum bonitas, sed quia  
non potest intelligi quod entia respectiva ha-  
beant omnia ad tuam perfectionem requisita,  
nisi intelligantur habere commensurationem ad  
prædicta extrinseca, in qua consistit bonitas,  
ut patet in habitu, qui non intelligitur habere  
omnia ad suam perfectionem requisita, nisi  
quia connotat objectum cui commensuratur.  
Similiter ergo in moralibus, cū actū bonus  
moraliter sit de genere relativorum, & inter ea  
quāe requirit ad sui perfectionem, repertiantur  
quādam extrinseca, scilicet objectum ut vesti-  
tum debitum circumstantias, evidenter sequitur  
bonitatem illius non consistere formaliter in col-  
lectione omnium, quāe ad ipsum requiruntur sec-  
undūm rectam rationem, sed potius in quadam  
habitudine commensurationis ad ea quāe per mo-  
dum extrinseca connata requiruntur, ut dice-  
mus in tercia conclusione. Unde quod positis  
omnibus quāe recta ratio postulat, quocumque  
ali præcisō, actus intelligatur bonus, provenit  
ex eo quod in eis involvitur habitudo illa ad ex-  
trinseca, non verò ex eo quod in eorum collec-  
tione bonitas ipsa consistat.

C Dico secundō: Bonitas moralis non consistit in aliquo respectu rationis, aut in denominatio-  
ne extrinseca.  
E Prima pars patet ex dictis supra de moralitate in communi: si enim ratio generica moralitatis in aliquo reali consistat, prima ac præcipua ejus species non potest constitui per respectum ratio-  
nis. Deinde, ut ibidem dicemus, actus huma-  
ni sunt moraliter boni, meritorij, & laude digni,  
independenter ab omni fictione intellectus, &  
bonitas moralis ex solo actu intellectus in eis  
non resultat: Ergo non consistit in ente rationis,  
cujus fieri est cognosci, & quod, cessante intel-  
lectus fictione, penitus evanescit.

Secunda pars, quod nimur non consistat in sola denominatione extrinseca, probatur. Veritas quāe actus intellectus defumit ab objecto, est illi intrinseca, & idem dicitur specificatione,  
quāe potentiae, habitus, & actus in genere na-  
tura fortioriuntur ab objectis: Ergo pariter bonitas  
moralis, quāe actus humani defumunt ab objec-  
to ut conformi regulis morum, erit aliquid ip-

sis intrinsecum, & non sola denominatio extrinseca. Unde D. Thomas hic qu. 18. art. 4. ad 2. ait quod *debita proportio ad finem, & relatio in ipsum, inheret actioni.*

9. Confirmatur: Bonitas moralis in habitibus virtutum est quid reale, & ipsis intrinsecum; illenim realiter & specie distinguntur penes diversas bonitas morales, quibus afficiuntur, quamvis interdum respiciant idem objectum in esse physico: Ergo etiam in actibus virtutum bonitas moralis erit aliquid reale ipsis, intrinsecum. Consequentia probatur: tum quia qualis est habitus intrinsecus, talem facit intrinsecus actum: tum etiam quia alias actus virtutis non possunt habere rationem causa efficientis, aut dispositivam, respectu virtutis moralis ut sic; utraque enim causalitas supponit in actibus aliquid reale intrinsecum, proportionatum ad hoc ut possint causare bonitatem moralis virtutis: unde ulterius sequeretur non dari virtutes morales acquisitas, quia non daretur actus per quos possent acquireti; nam per actus in esse physico non possunt comparari, neque etiam per actus in esse moris, si bonitas moralis non sit quid reale ipsis intrinsecum: Ergo &c.

10. Dico tertio, Bonitatem moralis formaliter constitere in respectu transcendentali ad objectum, ut consonum regulis morum.

Hec conclusio sequitur ex principiis disputazione praecedenti statutis: cum enim bonitas sit species moralitatis, debet ex parte generis importare id ipsum quod importat moralitas, ac proinde modum illum habitudinis, in quo moralitatis essentiam collocavimus. Ex parte vero differentiae, nihil aliud potest addere, nisi quod talis habitudo sit ad objectum ut consonum regulis morum: tum quia per hoc distinguitur a malitia, que respicit objectum dissonum: tum etiam quia bonitas cuiuslibet rei est conformitas cum sua regula, ac proinde bonitas actus humani debet esse conformitas cum regula talis actus, que est recta ratio.

11. Confirmatur: Bonitas moralis, cum pertinet ad genus mensurabilis & regulabilis per regulas morum, & mensurabile ut tale dicat ordinem ad mensuram, non potest constitire in modo aliquo absoluto, actu humano superaddito, sed solum in aliquo respectu ad ipsius mensuram: Sed talis respectus non est rationis, ut supra ostendimus, neque praedicamentalis, cum non tendat ad terminum sub ratione puri termini, sed illum per modum specificativi & causa formalis extrinsecus respiciat, & interdum tendat in objectum non existens, sicut cum quis appetit bonum possibile: Ergo solum potest esse respectus transcendentalis ad objectum, ut consonum regulis morum.

### S. II.

#### Solvuntur objectiones.

12. **O**BJICIES primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic art. i. ubi expressè explicat essentiam bonitatis moralis, non minim habitudinis quam nos ponimus, sed collocat illam in plenitudine essendi, ut scilicet actioni humana nihil deficiat ex his que suo esse concurrunt, cujusmodi sunt debitus finis, debita quantitas, debitus locus &c. Ergo non in tali habitudine, sed in horum collectione, praedita bonitas constituit.

A Confirmitur: Idem S. Doctor ibidem parat bonitatem moralem cum naturali: Sed ad bonitatem & perfectionem in rebus naturalibus non est necesse aliud ponere, quam collectionem omnium eorum quæ ad rei integratatem & plenitudinem requiruntur, & debent concurrere, ut constare potest inductione in quacunque re naturali, ut homine, equo, lapide &c. quæ tunc habent bonitatem & perfectionem, cum nihil illis deest ex his quæ ad eorum integratatem & plenitudinem necessaria sunt: Ergo similiter bonitas moralis actuum humanorum consistit in collectione omnium quæ ad eos requiruntur, sine alio ordine vel habitudine superaddita.

B Ad objectionem respondeo, quod quando S. Thomas dicit bonitatem moralem actuum humanorum consistere in plenitudine essendi, quam constituit in collectione objecti & circumstantiarum debitatarum, non loquitur in sensu formali, sed causaliter; & solum intendit quod habitudo ad objectum consonum rationi, in qua bonitas moralis formaliter constituit, necessariò presupponit in actu morali debitum objectum, finem, & circumstantias, eaque omnia exigit ad hoc ut in actu resulteret. Unde articulo sequenti in resp. ad 3. concludit quod *ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius.* Et art. 4. ad 2. ait: *Quamvis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum, inheret actioni.* Non ergo constituit formaliter bonitatem moralem in plenitudine essendi, seu collectione objecti, finis, & circumstantiarum debitatarum, sed in proportione & habitudine ad objectum debitum circumstantiis vestitum; & solum vult talis plenitudinem seu collectionem ad bonitatem moralem necessariò prærequiri, tanquam fundamentum hujus habitudinis & proportionis. Quare exemplum quod adducit de bonitate physica, tenet quantum ad aliquid, non quantum ad omnia. Paritas in eo constituit, quod sicut ad hujusmodi bonitatem requiritur, quod res habeat omnes perfectiones & formas sibi debitas secundum exigentiam propriæ naturæ, & qualibet deficiente res ex ea parte redditi mala & imperfecta; ita ad bonitatem humanae actionis opus est omnibus quæ recta ratio postulat, & per cuiusvis eorum defectum, redditur mala & peccaminofa. Ratio autem discriminans est: quia in rebus absolutis, qualis est substantia, regula bonitatis non est aliquid extrinsecum, sed ipsum subjectum, & propterea tota bonitas sumitur ex convenientia ad illud, neque est aliud præter ipsas formas, quæ subiecto convenientiunt: in actionibus vero, quarum totum esse est in ordine ad objectum, tota bonitas est respectiva; & propterea aliud est quod requiritur per modum termini, ut talis bonitas resulteret, scilicet objectum convenientem, finis rectus, & circumstantia debita; & aliud ipsa bonitas, quæ ex illorum collectione & concurrentia in actu consurgit. Ex quo patet responsio ad confirmationem.

E Objicies secundò contra secundam conclusionem: Relatio conformitatis, in qua nos constituimus bonitatem moralem actus, sepe est ad objectum non existens, ut cum quis delectatur de aliquo futuro, vel præterito: Ergo non est realis, sed rationis. Consequentia videtur manifesta: quia relatio realis exigit terminum realem & existentem, cum à termino specificetur.

Huic

## DE SPECIEBUS MORALITATIS.

217

16. Huic argumento patet solutio ex dictis disputatione praecedenti de moralitate in communi: licet enim relatio illa conformitatis, in qua bonitas moralis consistit, possit esse ad objectum non existens, & sic non sit relatio praedicamentalis & secundum esse, hoc tamen non tollit quod sit relatio transcendentalis vel secundum dici, cum ipsa non exposcat necessariò terminum realem vel existentem, sed possit ad entia rationis, vel ad res non existentes terminari, ut patet in ordine transcendentali quem Logica dicit ad suum objectum, vel actus voluntaris ad dignitates & honores quos appetit, qui sunt mentes entia rationis, aut denominaciones extrinsecae. Sicut ergo hoc argumentum Vazquezij non probat non dari actum reale circa objectum non existens, ita nec probat non dari moralitatem realem actus erga objectum non existens; cum illud ipsum objectum non existens, possit esse mensuratum & subordinatum regulis rationis, subindeque terminare & specificare actum moralem.
17. Objicies tertio contra eandem conclusionem: Bonitas & malitia actuum humanorum pendent à libera hominum voluntate, aliquid disponente extrinsecè circa actus humanos: Ergo non est aliquid eis intrinsecum, sed solum denominatio extrinseca. Consequenter patet: quia sic disponendo voluntas non influit illis aliquid reale aut physicum, sicut nihil physicum imprimis moris dispositio principis; eis dantis pretium, sed solum extrinsecam denominationem. Antecedens etiam confat, tum in actibus qui mali non sunt ex objecto secundum se, sed quia prohibitum est: tum etiam in multis actibus malis jure naturae, qui non important repugnantiam ad rectam rationem, nisi supposita aliquà conditio ne dependant à libera hominum voluntate: v.g. furtum, cum sit acceptio rei alienae invito domino, requirit duo que pendent à voluntate libera, scilicet rem qua accipitur, esse sub dominio alterius, & dominum esse invitum; adulterium requirit alterum eorum à quibus committitur, esse matrimonio alicui junctum, quod pendet ex libero consensu illius.
18. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: licet enim à positione vel mutatione legis pendeat actus in ratione boni vel mali moraliter, in quantum per eam immutatur objectum in esse moris, in ordine ad quod actus humanus habet suam moralem bonitatem vel malitiam; ex hoc tamen non sequitur bonitatem aut malitiam moralem in extrinseca denominazione consistere: quia, ut saepe diximus, actus realis voluntatis, per veram & realem tendentiam potest ferri in objectum, ut subest alicui denominatio rationis, & prout ab illa in ratione mensurabilis dependet; sicut cum aliquis desiderat dignitatem vel jurisdictionem, que est extrinseca denominatio.
19. Objicies ultimò contra ultimam conclusionem: Relationi nihil est contrarium, ut ex Aristotele in capite de relatione docent communiter Dialectici: Sed bonitati moralis contrariatur malitia: Ergo bonitas moralis non consistit in relatione, sed in modo aliquo absoluto, actui humano superaddito.
- Confirmatur: Bonitas moralis fundat in actibus humanis relationem conformitatis mensurabilis ad mensuram, que est praedicamentalis & tertij generis: Sed una relatio non potest esse

A fundamentum alterius, alioquin daretur processus in infinitum, ut docetur in Logica: Ergo idem quod prius.

Respondeo hoc argumentum, ejusque confirmationem, solum probare quod bonitas moralis non potest in relatione praedicamentali consistere; hæc enim non habet contrarium, nec aliam relationem fundat: relatio vero transcendentalis, quæ entitative est aliquid absolutum, potest contrarium habere, & relationem praedicamentalem fundare; sicut datur contractio inter actus & habitus, ac in ipsis fundantur relations aliquæ secundum esse, in quibus tamen non consistit ipsa ratio propria actus vel habitus: unde bonitas moralis potest consistere, & de facto consistit in respectu transcendentali ad objectum, ut consonum regulis morum, qui est ratio fundandi relationem praedicamentalem conformitatis mensurabilis ad mensuram, & qui prius intelligitur in actu quam talis relatio resulteret.

### S. III.

#### *Corollarium precedentis doctrine.*

**E**X dictis facile colligitur quid sit dicendum de malitia morali, quæ est altera species moralitatis, opposita bonitati morali: supposito enim quod sit forma positiva; non potest in alio consistere, quam in habitudine transcendentali ad objectum, ut consonum regulis morum; cum debeat in ratione generica moralitatis convenire cum bonitate, subindeque secundum gradum genericum importare habitudinem illam, in qua moralitas formalis consistit; in ratione vero specifica debeat constitui per habitudinem ad objectum, oppositam ei, quæ constituit bonitatem moralem: unde cum bonitas moralis importet habitudinem convenientiæ ad rationem, mediante objecto, malitia moralis debet in ratione specifica constitui per habitudinem disformitatis & inconvenientiæ ad rationem, seu per ordinem transcendentali ad objectum, ut disforme rationi. Dixi: *Supposito quod malitia sit forma positiva:* quia celebris est controversia circa constitutivum peccati commissionis, an scilicet illud per aliquid positivum, vel privativum, aut per utrumque simul in ratione mali moralis constitutur? De quo fusè agemus in tractatu de peccatis, ubi haec quæstio propriam sedem habet, licet ab aliis hinc pertractetur.

Dip. 4.  
art. 1.

### ARTICVLVS II.

#### *Primum indifferentia sit aliqua species moralitatis, media inter bonitatem & malitiam?*

**A**FFIRMANT Medina, Martinez, Joannes à S. Thoma, Ildefonsus Baptista, & alii ex nostris Thomistis: negant vero Curiel, Lorca, Cornejo, & Salmantenses, cum quibus

Dico, indifferentiam non esse aliquam speciem moralitatis, medianam inter bonitatem & malitiam; subindeque actum moralem adæquatè dividit in bonum & malum.

Probatur primò: Omnis species moralitatis debet esse positiva, seu per aliquid positivum constitui: Sed indifferentia, quam aliqui actus habent ex sua specie seu objecto, non consistit in aliquo positivo, sed in mera negatione bonitatis & malitiae, cum non repugnantia ad eas

Ecc

22.

aliunde quā ex objecto habendas: Ergo non A constituit speciem moralitatis, medium inter bonitatem & malitiam. Major patet: ratio enim generica positiva non potest per puram negationem contrahi & determinari ad certam speciem, cū ex ente & non ente non possit aliqua species constitui: moralitas autem actuum humanorum in aliquo positivo consistit, ut disputatione praecedenti ostendimus: Ergo omnis species moralitatis debet esse positiva, & per aliquid reale & positivum constitui. Minor autem, in qua est difficultas, sic probatur. Omnis species positiva debet possē salvari in aliquo individuo: Sed non potest dari aliquis actus indifferens in individuo, ut docet S. Thomas hīc art. 9. & nos infra disp. 5. ostendimus: Ergo indifferens non est species aliqua positiva moralitatis in actibus humanis, sed sola negatio bovitatis & malitiae, cum non repugnante ad eas aliunde quā ex objecto habendas. Unde idem S. Doctor ibidem sibi hoc argumentum objicit: *Nulla species est que sibi se non contineat vel continere possit aliquod individuum: Sed aliquis actus est indifferens secundum suam speciem, ut dictum est: Ergo videtur quod aliquis actus individualis potest esse indifferens.* Et responderet: *Aliquem actum esse indifferente secundum suam speciem, potest esse multipliciter: uno modo sic, quod ex sua specie debeatire ei quod sit indifferens; & sic procedit ratio: sed tamen isto modo nullus actus ex sua specie est indifferens; non enim est aliquod objectum humani actus quod non possit ordinari vel ad malum vel ad bonum, per fidem vel circumstantiam.* Alio modo potest dici indifferens ex sua specie, quia non habet ex sua specie quod sit bonus vel malus; unde per aliquid aliud potest fieri bonus vel malus: sicut homo non habet ex sua specie quod sit albus vel niger, nec tamen habet ex sua specie quod non sit albus aut niger, potest enim albedo vel nigredo supervenire homini aliunde quā à principiis speciei. Quibus verbis ponit S. Doctor indifferiam actuum humanorum, non in aliquo positivo quod desumatur ab objecto, sed potius in negatione formalitatum, que ab objecto desumuntur, cum non repugnante ad eas aliunde habendas, scilicet à fine aut circumstantiis: & sic solvit argumentum sibi propositum, & salvat non dari actum indifferente in individuo, licet aliquis actus dicatur indifferens ex sua specie: quia non dicitur indifferens ex sua specie positivē, sed negativē, quatenus ex vi sua speciei, in esse entis considerata, nec bonitatem nec malitiam moralem sibi vendicat, potest tamen utramque habere aliunde: Eo modo quo natura humana non habet secundum se quod sit singularis, aut universalis, potest tamen aliunde habere universalitatem, nempe ab intellectu, & singularitatem à principiis indi- duantibus.

23. Probat secundò conclusio: Dux sunt tantum species moralitatis objectivæ: Ergo & moralitatis formalis. Consequentia patet: quia moralitas formalis in actibus humanis desumitur à moralitate objectiva, quae reperitur in objectis. Antecedens probatur: Objectum non respicit rationem & regulam, nisi aut ipsum adæquando, aut non adæquando; si cam adæquet, est ipsi conforme; si non adæquet, diffor- me: Ergo duplex tantum moralitas objectiva potest reperi in objectis actuum humanorum,

nempe conformitas cum lege, quæ specificat bonitatem moralem, & difformitas seu devia-  
tio à lege, quæ malitiam moralem constituit: & inter illas nullum potest dari medium posi-  
tivum, sed tantum negativum per negationem  
utriusque extremi, sicut nec inter par & impar,  
simile & dissimile. Hanc rationem tangit D. Thomas hīc art. 8. his verbis: *Actus humanus quia dicitur moralis, habet speciem ab objecto re-  
latu ad principium actuum humanorum, quod est  
ratio. Vnde si objectum actus includat aliquid,  
quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus  
secundum suam speciem, sicut dare elemosynam  
indigentem: si autem includat aliquid quod repu-  
gnet ordini rationis, erit malus actus secundum  
speciem, sicut furari, quod est tollere aliena.  
Con-  
tingit autem quod objectum actus non includat aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare  
fuscam de terra, ire ad campum, & hujusmodi:  
& tales actus secundum speciem suam sunt indif-  
ferentes. Ubi, ut vides, ordinem ad rationem, ex  
quo est tota moralitas, dividit adæquate in ordi-  
nem convenientiam, qui constituit bonitatem, &  
in ordinem inconvenientiam, qui constituit malitiam: quicquid verò nec conveniens est, nec  
disconveniens, sed indifferens, excludit à præ-  
dicto ordine, & consequenter à linea moralita-  
tis, quæ in eo consistit.*

24. Dices, inter convenientes & disconvenientes me-  
diare indifferens, seu non convenientes regulæ, &  
hoc esse tertiam speciem moralitatis, distinctam à  
bonitate & malitia.

Sed contra: Vel hoc quod dicitur non con-  
veniens, subest actu regule rationis, vel non?  
Si non subest, eo ipso nulla dabatur in eo mora-  
litas, que essentialiter consistit in prædicta  
subjectione; atque adeò indifferenter illa, vel  
non convenientia, non erit species moralitatis.  
Si autem subest, prædicta non convenientia  
nequit esse solum negativa, sed privativa, vel  
contraria, quæ est idem ac disconvenientia: si-  
cut omissione actus est privatio culpabilis & pec-  
caminola, quando talis actus subest legi & ca-  
dit sub præcepto. Neque valet, si dicas actu  
indifferentem cadere sub lege, non præcipiente  
aut prohibente, sed permittente, & ex illa ejus  
objectum aliquam moralitatem habere. Nam,  
ut infra dicemus, actus indifferens non cadit  
sub lege positivē, sed solum negativē, in qua-  
ntum lex non curat de ipso, & ab eo suam dispo-  
sitionem retrahit; quod ad moralitatem non  
sufficit.

## S. I.

Solvuntur objectiones.

25. **O**BJICIES primò: Ex D. Thoma hīc art. 8. ad 1. & qu. 1. de malo art. 1. & qu. 2. art. 5. Bonum & malum in moralibus non opponuntur immediatè: Ergo mediat inter illa tertia aliqua species, que non potest esse alia quā indiffe- rentia.

26. Respondeo: Bonum & malum non esse op-  
posita immediatè simpliciter, & absolute, quia  
inter illa absolute darur medium, nempe actus  
humanus physicè consideratus: Sed solum in ge-  
nere moris, quatenus immediatè dividunt ge-  
nus illud, sicut rationale & irrationalē dividunt  
animal.

27. Objicies secundò: Omnis actus ex deliberate  
voluntate procedens, est moralis: Sed actus in-

differens secundum speciem, ut ire in hortum, colligere flores, levare festucam, ex deliberata voluntate procedunt, ut supponimus: Ergo sunt morales, subindeque aliquam speciem moralitatis constituent. Minor pater, Major autem probatur ex D. Thoma supra qu. i. art. 3. in fine corporis ubi ait: *Idem sunt actus morales, & actus humani*: Sed actus qui ex deliberata voluntate procedunt, sunt humani, ex codem S. Doctorib[us] ibidem art. i. sic dicente: *Ille ergo actiones propriè humana dicuntur, qua ex deliberata voluntate procedunt*: Ergo actus ex deliberata voluntate procedentes, sunt morales.

28. Respondeo distinguendo Majorem: est moralis secundum speciem & ex objecto, nego: in individuo, & ex fine, vel alius circumstantiis, concedo. Sicut ergo omnis homo in individuo vel est albus, vel non albus; si tamen homo specter secundum essentiam, neque est albus, neque non albus, sed abstrahit ab utroque: ita similiiter licet quilibet actus liber in individuo sit moralis, si tamen consideretur secundum rationem specificam, & prout tendit in objectum abstractus à bonitate & malitia, non est moralis, vel non moralis, sed abstrahit ab utroque.

29. Instabis: Actus levandi festucam v. g. prout praeceps terminatur ad tale objectum, præscindendo à quacunque alia circumstantia, si ex deliberata voluntate: Ergo secundum rationem specificam, & prout terminatur ad tale objectum, est moralis, & consequenter sub aliqua specie moralitatis. Unde D. Thomas qu. 2. de malo art. 5. in corp. sic ait: *Si ergo loquamur de actu morali secundum suam speciem, sic non omnis actus moralis est bonus vel malus, sed aliquis indifferentes*. Ubi actum indifferentem appellat moralem secundum suam speciem: Non ergo solum ex ratione individuali, & ex fine, aut aliis circumstantiis, sed etiam ex objecto, & ratione specifica moralis est.

30. Respondeo, quod licet actus indifferentes, ut talis, & secundum rationem specificam confiderratus, procedat à ratione, seu voluntate deliberata, modo physico, scilicet cum indifferentia ad utrumlibet, non tamen ab ea procedit modo morali, quia ab ea non procedit per principia moralia, & cum determinatione legis: unde ut talis non pertinet ad genus moris, nisi solum initiativæ, radicaliter, & indirecte, quatenus adjuncta aliquâ circumstantia potest inducere moralitatem; eo modo quo fundamentum pertinet initiativæ ad genus relationis, & negotio ad genus formæ quam removet. Et in hoc sensu D. Thomas loco citato actum indifferentem vocat moralem secundum suam speciem.

31. Urgebis: Ille actus est formaliter moralis, qui est subiectus legi, & circa quem lex habet specialem actum: Sed actus ex objecto indifferentes, sunt subiecti legi, & respectu horum lex habet aliquem specialem actum: Ergo sunt morales formaliter & essentialiter, & non solum fundamentaliter & initiativæ. Major patet: quia moralitas actus sumitur ex subjectione ad legem aliquid de eo dictantem. Minor probatur ex D. Thoma infra qu. 92. art. 2. ubi docet quod lex habet tres actus, scilicet prohibere, præcipere, & permittere. Et addit: *Sunt autem tres differentia actuum humanorum. Quidam sunt boni ex genere suo; & respectu horum ponitur legis actus præcipere seu imperare. Quidam are-*

*Tom. III.*

A tem sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vi-  
tiosi: & respectu horum lex habet prohibere. Qui-  
dam vero ex genere suo sunt actus indifferentes:  
& respectu horum lex habet permittere. Ergo circa actus indifferentes datur aliquis specialis  
actus legis, scilicet permisso.

Confirmatur: Nihil est in rerum natura, sive bonum, sive malum, sive indifferentes, quod actu non cadat sub divina providentia: Ergo etiam quod non cadat sub aliqua lege, saltem sub lege æterna, qua est prima regula totius moralitatis. Ergo actus indifferentes sunt subiecti legi, subindeque intra genus actuum moralium exis-  
tant, & aliquam speciem moralitatis consti-  
tuunt.

B Pro solutione huius argumenti, sciendum est, 32<sup>h</sup> permettere diti actum legis positivum, & negati-  
vum. Dicitur actus positivus uno tantum modo, quando scilicet lex dispensat in aliquo quod debebat fieri, v. g. in recitatione officij, in jen-  
junio, & similibus quæ lex præcipit, & in quibus superior ex justa & legitima causa dispen-  
sat. Dicitur vero actus negativus quadrupliciter.  
Primo quando lex non præcipit quod melius est:  
sic matrimonium dicitur permisum, quia virgi-  
nitas non est in præcepto. Secundo quando  
lex non prohibet: sic convolare ad secundas nu-  
ptias dicitur permisum, quia non est prohibi-  
tum. Tertio quando aliquid non impedit, cùm  
possit: sic Deus dicitur permittere peccatum,  
quia illud non impedit. Quartò quando lex non  
punit aliquod malum ad vitandum deterius. Ad  
hoc ergo ut aliquis actus sit in genere moris, de-  
bet ejus objectum esse subiectum legi positivæ,  
id est secundum actum positivum, & non suffi-  
cit quod subdat negativæ: actus autem cuius  
objectum subditur legi positivæ permitenti, est  
bonus, si fiat eo modo quo lex permittit; ma-  
lus vero, si fiat alio modo: quia in primo casu est  
conformis legi dispensanti, & tollenti ab ob-  
jecto deformitatem quam alias haberet; in secun-  
do vero est circa objectum disiforme legi. Hoc  
præmissio:

C Ad argumentum respondeo, distinguendo Ma- 33<sup>h</sup> jorem: Ille actus est formaliter moralis, qui est subiectus legi, positivæ, concedo Majorem: ne-  
gativæ, nego Majorem. Similiter distinguo Mi-  
norem: Actus indifferentes ex objecto sunt sub-  
iecti legi, negativæ, concedo: positivæ, nego.  
Illi enim dicuntur permitti à lege solum negati-  
væ, quia lex de illis non curat; nec eos præcipit  
aut prohibet, sed eis suam dispositionem negat,  
merè indifferenter se habendo circa illos. Unde  
quando S. Thomas docet permittere esse actum  
legis, vel loquitur de permissione positiva, quæ  
lex dispensat in aliquo quod erat prohibitum,  
E & non licebat fieri, illudque permittit, v. g. co-  
medere carnes tempore quadraginta, aut nu-  
bere cum consanguinea in secundo gradu: vel  
si loquatur de permissione pure negativa, non  
sumit actum propriè & strictè, sed lato modo,  
& prout abstrahit ab actu vero, qui dicitur talis  
realiter, & ab actu grammaticaliter dicto, qui  
in re talis non est, sed significatur ad modum  
actus, ut quiescere, otiani, & similia, quæ licet  
verè actus non sint, imò potius sint carentia  
actus, tamen ad modum actus significantur.

D Ad confirmationem, concessio Antecedente,  
distinguo Consequens: Nihil est quod non ca-  
dat sub lege æterna, ut est ratio divinae provi-  
dentialis, & in ordine ad Deum, translat: quod  
Ec iij

## DISPUTATIO TERTIA

non cadat sub lege æterna, prout est regula voluntatis creatæ, ac proinde in ordine ad nos, negatur. Igitur lex æterna potest dupliciter considerari: vel ut est ratio divinæ voluntatis, quæ regulantur actus ipsius Dei in productione & gubernatione creaturarum: vel ut medio distamine rationis participatur in nobis, & applicatur ad regulandum actus nostros, prout à nobis liberè exercentur. Primo modo sub illa cadunt omnia quæ sunt in rerum natura, sicut omnia cadunt sub providentia & voluntate divina: secundo autem modo ea solùm cadunt sub illa, quæ cadunt sub hominis potestate, secundum quod de illis ratio dictat esse ab homine facienda, vel non facienda: & quia de indifferenteribus secundum se nihil dictat, idèo prout sic non cadunt actus sub prædicta lege, atque adeò ex habitudine ad illam non recipiunt aliquam speciem moralitatis.

## DISPUTATIO III.

## De principiis moralitatis.

Ad eandem quæst. D. Thome.

**T**RIA assignat Divus Thomas artic. 2. & 4. hujus questionis 18. moralitatis principia: nempe objectum, circumstantias, & finem, de quibus breviter hic agendum est.

## ARTICVLVS PRIMVS.

An prima & specifica moralitas in actibus humanis ex objecto desumatur?

**O**BIECTVM non sumitur hîc communiter, & in tota sua latitudine, pro omni quod objicitur voluntati; sic enim comprehendit etiam finem & circumstantias, cùm omnia ista à voluntate attingantur: sed sumitur propriè & strictè, pro eo scilicet quod primò & per se objicitur actui, & ab eo attingitur; quo pacto distinguitur à fine, & à circumstantiis, quæ secundariò tantum & ex consequenti ab actu morali attinguntur. Hoc premioso: pro resolutione difficultatis propositæ, sit

s. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

**I**co igitur, Primam & specificam actuum humanorum moralitatem sumi ex objecto, non quidem in esse rei & physicè, sed in esse morali, & ut consonat, vel diffonat rationi, considerato.

Probatur prima pars ratione D. Thomæ hic art. 2. Sicut in naturalibus prima & specifica bonitas rei naturalis sumitur ex forma, quæ dat illi speciem; ita in moralibus prima & specifica bonitas moralis attendi debet ex forma, quæ dat speciem actui humano: Sed objectum se habet ut forma dans speciem actui morali: Ergo ab eo sumitur prima & specifica bonitas moralis in actibus humanis. Minor probatur: Omnis motus &

via ad terminum, respicit ipsum tanquam propriam formam; quia comparatur ad eum veluti potentia ad actum, & sicut determinabile ad determinativum: Sed actus est essentialiter via & tendentia ad objectum: Ergo &c. Quod diximus de bonitate, dicendum est etiam de malitia: *Sicut enim in naturalibus primum malum est, si res generata non consequitur formam specificam, puta si non generetur homo, sed aliquid loco hominis: ita primum malum in actionibus moralibus est, quod est ex objecto:* subdit S. Doctor ibidem.

Confirmatus: Actus moralis est essentialiter respectivus, nedum in esse naturæ, sed etiam in esse moris: Ergo debet sumere primum suæ moralitatis speciem ab eo quod primariò respicit: Sed primum quod respicit, tam in esse physico, quam in esse moris, est objectum; circunstantias enim attingit secundariò tantum & ex consequenti: Igitur sumit primum speciem moralitatis ab objecto.

Quod autem (probatur secunda pars conclusionis) eam non sumat ab objecto in esse rei, sed in esse moris considerato, patet: quia diversi actus voluntatis, quorum unus est bonus, & alter malus, possunt ferri in idem objectum in esse rei & entitativo: nam eadem pecunia v. g. potest esse objectum furti, & restitutionis; idem cibus objectum gulæ, & temperantiae; eadem fœmina matrimonio conjuncta objectum adulterij, & actus conjugij; quemadmodum in scientiis eadem conclusio, ut attingitur & demonstratur per diversa media, pertinet ad diversas scientias: unde sicut unitas specifica scientiarum sumitur ab objecto, non in esse rei, sed in esse scibilis spectato; ita prima & specifica actum humorum moralitas est ex objecto, non in esse rei, sed in esse moris, & ut consonat vel diffonat reæ rationi, considerato.

s. II.

Principia objectiones solvuntur.

**P**LURES tamen ac difficiles contra hanc conclusionem fieri solent instantiæ. In primis objicitur: Actus humanus debet sumere primum suæ moralitatis speciem ab eo quod primò respicit: Sed primum quod respicit est finis, objectum enim est volitum propter finem, ac proinde finis est prius volitus: Ergo actus humanus primum suæ moralitatis speciem non accipit ab objecto, sed à fine. Unde S. Thomas hîc art. 6. & suprà qu. 1. art. 3. docet actus morales sumere speciem ex fine.

Respondeo, primum quod actus humanus respicit, esse quidem finem operis, qui dicitur finis intrinsecus, & coincidit cum objecto, non verò finem operantis, qui dicitur extrinsecus. Ratio est, quia tendentia ad hunc vel illum finem operantis accidit actui humano, & esset idem quamvis in illum non tenderet; cùm tandem ordo ad finem intrinsecum insit illi per se & invariabiliter: ut patet cùm quis vult dare eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis; volitioni enim dandi eleemosynam, secundum se sumptæ, accidit ordinari ad satisfaciendum, & esset eadem ablatâ hac ordinatione; tendentia verò ad ipsam eleemosynam honestatem tanquam ad finem intrinsecum, ita inest illi per se, ut è sublatâ evanesceret. Unde quando D. Thomas locis citatis docet actus humanos seu morales sumere speciem à fine, loquitur de